recule 14. 7bre. 1762.

Observatio
Chirurgica singularis
momenti
de Calculo
ex urethere ad sinistrum latus per ulcus pure refertum in inguen prorumpente.

exhibita

a

Guolfgango Jacobo Muillner, Norimberg. Serenissimi Marchionis Brandenburgo. Culmbacens. Chirurgo, Reipublicæ Norimbergens. ad sublevandas in partu mulieres ~~Adjutori~~ Magistro (accoucheur) jurato.

Idibus Junii 1762.

Quam ipsa natura suppeditat, doctrina in medendis morbis, sua se dignitate commendat, nec exigui momenti res est, scire medicum et callere naturæ vires, eiusque rationes apte componere ad ea, quae aegrotanti subuenire possent; ac quidem ipsimet nobis imponeremus et nos utique spes falleret, aeque, ac illos, qui solius animæ curæ operam impendunt, si quando præternaturalem partium corporis humani rationem solis naturae viribus superandam relinqueremus. Fluidarum quippe et solidarum partium laesio saepenumero grauior existere solet, quam cui par possit esse virtus et potentia partium secundum naturæ rationem consideratarum, et succumbendum foret aegroto, si minus ipsi succurrat medicus, qui adhibere didicit aliorum corporum vires.

Adsunt quidem exempla, & prostant casus, qui testantur de natura, quæ sibi relicta ipsis suis viribus morbos discriminis plenos

utique

utique sanavit feliciter. Sed non tam facile obvia nobis sunt eiusmodi experimenta, ut ex iis inferri possit ratiocinatio in universum, & forsitan penitius scrutando circumstantias hinc inde in talibus casibus deprehenderemus indicia de nonnullis remediis, quae ipsi medelam offerenti incognita erant, quaeque ille applicaverat fato quasi illum ducente tam prospere, ut ipsa morbi decursum velocem promoverint.

Huius generis historiam attentione dignam, Vobis, Doctissimi et experientissimi Viri! proferre constitui, recensurus casum, ubi calculus ex sinistro urethere per ulcus prodierit in Inguen, in quo conspicitur mirandum quoddam natura eo extantius, quo minus ars ipsa Curationi aliquid contulisse videtur cum nec Medici, nec Chirurgi opera huc intervenerit, sed ipsi aegroto res bene cesserit, selegisse ipsum remedia, morbi, quo laborabat, naturae & indoli apprime convenientia.

Feli

Felicem prædicandum esse arbitror, cui respondeat sua sibi consulens opera, quæ ipsa circumspicit, quae medendo malo inservire possent, ita, ut ipse medici officio fungatur, et in eligendis mediis in manum cui incidit ipsud, quod curationi maxime & potissimum sufficit. Deplorandi contra, qui laborant sub Medici arte, cui non innotuit, quid sibi velit illud Hippocratis axioma: Ducendum, quò natura vergit, indeque solum constat Empiricorum mos, qui non tantum invertant, quantum subvertunt conamen naturæ salutare in expellendis noxiis. ac quidem huc applicandum venit satis concinne dictum acutissimi cujusdam Angli, in libello, cui titulus.

A treatise on ruptures by Percyvall Pott. Lond. in præfatione.

„rem omnino sese habere sæpius optime, Chi-
„rurgo nihil aut parum opitulante." et res fere dubia est, utrum sortitus fuerit aegrotus

tus, de quo mihi sermo, morbi eventum tam felicem, si illi curando applicasset sese manus laeva imperiti Chirurgi.

Explicaturus hinc observationem sequentem ab Illustris huius Academiæ Regiæ celebratissimae Dominis Assessoribus impertiendam precor indulgentissimam veniam mihi, quod non tam diducte et prolixe historiam præsentem exhibere possim, utpote qui ex homine ad sese ipsum minus attento tantum perscrutari debui rationes, quibus illi obvenerit malum, et quo ipse modo periculo emerserit, et qui aliquantum temporis postea occasionem habueram, cum ipso colloquendi, qui nescius eorum, quae, qualiave ipsi contigerint, ordinatim non proferre potuit, quæ satisfacerent curioso sciscitanti. Sed non adeo prorsus destitutam signis & indiciis quæ casum formant, historiam hanc profero, ut non percipi posset rei indoles, cum ea,

quæ

ea, quæ recensuerat hic homo, compararem sedulo cum iis, quæ mecum communicavit de aegrotantis statu Pharmacopoeus ille, cujus consilio usus fuit aegrotans, et exinde compositus sese exhibet casus.

Michael Müller, faber lignarius, 58 annorum aetatem agens, ruricola, rudis et agrestis vitæ assuetus, robustus et vegetus homo, qui huc usque ullius morbi gravioris mole non oppressus fuerat et semper se fruitum prospera valetudine prædicaverat, nisi, quod ante 15 annos sensierit dolores ischiaticos, corripiebatur repentine 1755 mense Octobri, algore, aestu, membrorum lassitudine et ventriculi impuritate quadam. Pharmacopoeum in vicino municipio sibi consultorem adiit, qui ipsi suppeditat removendo accessui febrili adaptata remedia in forma Pulveris temperantis et potum herbis decoctis præparatum. Usus

hac

hac formula praescripta per 3 Septimanas, diminui sensit accessus febriles et fere intermissos, nisi quod languor, membra quassa et deficientia appetitus regularis in sumendo cibo eum anxium tenebant, et imparem obeundae suae rei manuariae reddebant.
Sub Novembris mensis decursum extitit in sinistra maxilla inflammatio quaedam comitata accessu febrili; quod utrumque malum amovit applicando regioni corporis, qua dolebat, sacculos Camillis et Sambucco refertos, qui tam egregie refecerunt aegrotum, ut operi suo exercendo se idoneum restitutis viribus crederet. Quae vero Symptomata nihil aeque fuerant ac praesagia imminentis mali majoris periculi, in quo natura se mirandam producere parabat.

Praeter enim opinionem suam recidunt Symptomata, de quibus non ita multo ante conquerebatur, prosternunt hominem, eumque con-


coniiciunt 3 Dec. in febrem gravem & vehementem, cui accedit inflammatio, exulceratio et cruciatus dolorum in Inguine ad sinistrum latus. Collecta haec indicia symptomata indices erant Abscessus latentis et puris resorpti. Noster non mores eorum sectans, qui Empiricorum vetularumve artes fascinatorias quaeritant, confidit in Naturae et vegetae corporis constitutionis auxilio, et animo constituit, manum medicam suam sibi ipsam admoveri. Quo itaque emolliorem redderet exulcerationem, ab uxore parari curat cataplasmata lacte et emollientibus herbis decocta, eaque calida loco corporis inflammato et dolorosa imponit. Ex quo Ulcus sese profert altius et dolores diminuti fuerant. Aspernatus consilium amicorum, ut accerseret Chirurgum, qui aperiat ulcus; diffidens arti sibi persuasit affuturum esse tempus, quo sponte prorumperet, quae occlusa esset puris materia. Et

Et evenit, quod hariolabatur Aegrotus, 23. d. m. Tegumentis enim ponderi Puris acrimonosi ferendo non amplius sufficientibus, rupit sua mole ulcus, &, si hominem non fefellit sua observatio, pus exinde profluens flaveum fordens 3 fere libras pondere excedebat. Insequebantur liberationem a tantæ molis pondere delinitio et refectio virium. Ipse aegrotus purgabat vulnus, quantum poterat, ~~sibi~~ eique superimponebat Emplastrum Diagylon ex meleiloto constitum, quod ipsi Pharmacopoeus suppeditarat, cataplasmatis supra prædicti usum simul continuabat, quo uti dicere maluit, massam in vulnere repertam molliorem reddere, eamque extrahere & removere posset.

Non diffitendum est, si quando Chirurgi manus specilli ope indagasset in vulnus, aliud eundem corpus inventurum fuisse, quam quod nominaverat Aegrotus massam. Fuisque

qua-

quis quæso autem crederet, peritissimo Chirurgo in mentem venire potuisse, huc loci esse viam, qua progredi deberet calculus, quem extrudere natura conaretur? inprimis, cum homo aegrotus assereret, se nunquam exinde sensisse dolores? Sed 27 dies Decembris rem experimento reddidit clariorem. Nam, quum vespera appropinquante aegrotus fasciam circa vulnus renovare vellet, & amoto emplastro sibi strueret sedem in lecto commodam, quo aptius esset purgando vulneri, inopinanti illi Massa, quam esse putabat corpus, procidit ante pedes ingenti mole Puris mixta, quo facto prorupit multum Ichoris. Ille sibi visus se percipere sonitum quendam procadentis putativæ massæ, eandem sibi in manus tradi curat, ipsamque admirans inspicit et deprehendit adesse calculum pituitosa materia obductum, qui ablutus & purgatus ex omni parte eam figuram



exhibuit, qua se conspiciendum ante oculos ponit in Schemate apposito. Color eiusd. nigro-argenteus, substantia solida & dura, ut lima potuerit expoliri, sed, licet speciosæ magnitudinis, pondere adaequabat calculus saltem 5 1/4 drachmas.

Suae artis autodidactus & in ea confisus aegrotus sibi sui Medicum sese praestare continuat, usque dum convaluerit. Ex odore Ichoris ex vulnere profluentis sentiens, urinam esse Ichorem, confirmat se in sententia, jam nunc se adhibere debere media, quæ, ut ipsius recitem propria verba, vesicam suam comprimerent, adstringerent & attractarent. Qualia haec sint, sciscitatur ex Pharmacopoeo consultore, qui praebet ipsi Species cephalicas vino-decoquendas et calidas vulneri imponendas. Ut interne sibi prospiceret, utitur Potu ex leniter adstringentibus composito, quem singula die 2 vicibus sumsit.

Ex

hac regula ita agens, brevi tempore urinae excretio et profluxus ex vulnere se stiterat, et primo mense A. 1756 ipse salutatum adiit Pharmacopoeum ipsi gratias acturus. Aliquanto temporis post vulnus mediante decocto & cataplasmate bene purgatum Emplastro diagylo obtegere curat, ex quo evenit, ut fine Februar. intermissis quibusvis aliis remediis, plene restitutus, ulcus sanatum respexit, & adhuc, prout audio, prorsus liber ab ullo malo, sanus & vegetus agit senectam suam.

Prolixum, quid quod, supervacaneum foret, inquirere in rationes, quibus hic calculus existere potuerit, cum largam messem in hac re fecerint tot Illustres Auctores, qui de Genesi calculorum in corpore humano exasciate tractant, quos inter antesignanus est

Ellers, qui dignissima notatu de origine calculorum tradidit.

vid.

vid. Memoires de l'academie de Sciences & de Belles Lettres de Prusse. 1755.

Cui Comes parilis docilitatis & ubertatis est Mekelius in libello:

Observationes de calculis in humano corpore crescentibus

Situs et regio corporis, quae domicilium quasi fuit huius calculi, et ipsius magnitudo sese commendant observatori, ut attendat hoc naturae miraculum; cui si adjungit, velociter et tam feliciter aegrotum fuisse sanatum eò magis rem indagatione dignam reperiet. Extant quidem descripta in Voluminibus Doctiss. viror. rariora nonnulla exempla de calculis, qui ex insolitis corporis partibus improviso prodierunt; quid quod id quoque insolitum dici possit, quod in glandula salivali subter linguam geniti calculi extraordinariis symptomatibus comitati a natura repentine extrusi fuerint. Ac quidem huius generis casus mihi obvius fuit recens, ubi accedente

te intumescentia capitis, vertigine, et deficientibus spiritibus vitalibus ciusmodi progenies ad 1 drachma pondus subter linguam cuiusdam hominis sortita fuerat, quem tristem casum tamen non insequebantur ulli dolorum insultus, sed ægrotus liberatus onere, quod inscius tulerat, se postea bene habuit. Ipsa natura conata est sæpius, in felle & renibus progenitos calculos, ulceris ope amovendi, ac in ipsa vesica coorti calculi exitum per vicinas partes sibi pararunt, prout Celeberrimus Louis exemplum huius generis ante aliquot annos obviam habuit.

Memoires del' Academie Roiale de Chirurgie 1755. m. Sept.

Rarissimos vero inter casus reputandum esse nostrum credo, cum omnino magis probabile sit, uretheres dilacerari potuisse calculo, & hunc in cavitatem abdominis profundi, et existere causam accidentium periculosissimorum. Saltem duo reperiuntur Exempla, observationi nostræ non dissimilia. Unum eorum recensetur

a Rosset de Partu Cæsareo. C. VII. p. 59. & 60. et a Jahnio in Diss. inaug: de insolita calculi ingentis per scrotum exclusione Viteb. 1710.

sed

sed calculus, qui ibi ex urethere per eadem Ventris tegumenta provenit, fabam saltem aequabat magnitudine, & relinquebat fistulam, ubi ~~urin~~ urina profluebat. Secundum memoratur

in Stalpart van der Wiel, Observ. rar. med. Chirurg. Obs. XLI. p. m. 329.

ubi idem molestum & grave Accidens contigit. Et sane in casu substrato idem puto, quod evenire potuerit, si Noster ad modum tot Chirurgis solitum, vulnus explevisset scissis linteis filis (Carpies,) quippe quod eo certius periculum causatur, ubi acris Ichor urinae postulat profluentiam liberam. Cum vero hoc abstinuerit: ~~tam~~ minus potuerat pus et urina in vesicam cellulosam tunicam irrepere, nec sinus et callositas ulla exinde oriri poterant, sed sua ipsius manus medelam peregit tutam et eo certiorem, quo partes elasticae sese comprimere soleant, et motus proprius musculorum abdominis ad amovendum pus & purgandum ulcus non parum contulerit.

Mirandum sane & id est, hos calculos, graves & periculum secum ferentes incolas corporis humani plures per annos in eodem immorari posse, ceu Observationes Baglivii, Halleri & Meckelii, ut et praesens observatio testantur. Quae quidem argumentum praebent, minus sufficere illa Indicia, quae praesen-

tiam

tiam calculorum in vesica & uretheribus augurari sinunt. Non quidem præsumendum est sine ratione, dolores ischiaticos, quos senserat noster ante annos XV ortos fuisse ex calculis. Quæstio tamen moveri potest, qua ratione hic calculus immorari potuerit tam multum temporis, sic, ut exinde nullos senserit dolores homo? qua ratione calculus promoverit ulcus, et quomodo tegumenta abdominis ille perforare potuerit, cum multo facilior illi esset meatus in epigastricam abdominis regionem.

Mexelius, ille tam solers quam doctissimus perscrutator rerum observavit in libello prædicto calculis minoribus inesse causam vehementiorum dolorum, quam ingentibus. Et quidem possibile fuit, ut eadem ratio fuerit calculi in nostro ægroto. Sed potius credere quis posset, plures dolores & majores cruciatus excitari per calculum in urethere, si indaugesceret, quia tum profluentiam urinæ ex renibus impediunt, et adeps non delinire potest calculi operationem in urethere eadem ratione, qua in Renibus, quæ tamen opinio Mexelii est. Confirmari id videtur a Ruyschio

in Obs. Anatom. Chirurg. Obs. XI. p. 21.
Obs. XCIV. p. 120.

qui

qui ingentes calculos in uretheribus, scribit, cruciatuum maximorum esse causam ut et Ischuriæ. Fateor quidem, me non audere explicare circumstantiam præsentem. Forsitan ipse, de quo sermo, suppeditare potest explicationem, dum adhuc sit in vivis. Interim possibile fuit, quod inter uretherem & calculum profluxerit urina, et huius relicta portio a retroducentibus vasibus fuerit imbibita. Ipsa calculi figura hanc sententiam promovet eo magis, cum eius inferior planities, quae sub Litt. a.) notata est, implana et quasi excavata conspicitur. Forsitan & ipsa natura munierat nostrum ægrotum duplicibus uretheribus, et non deficiunt observationes de re se ita habente. Ruyschius, Boehmer & alii celebres anatomici animadvertere eius exempla, et similem descriptionem tradidit Academiæ Naturæ Curiosorum, qu. Professor Medicinæ Delius, quæ inserta est Actis Acad. Vol. VIII. Obs. 107. p. 379.

Sed abducunt me longius conjecturæ. Naturæ operationes mirari potius, quam explicare valemus, et eas introspicere saepe nobis non licet, quam si manibus ipsis quasi palpamus eas. Quod attinet id, qua scil. ratione calculus occasio-

sionem dederit, ut exulceratio fieri potuerit, opinio mea ita sentit. Continuam pressionem et gravitatem calculi inflammationem, exulcerationem et abscessum excitare posse probe quidem mihi constat. Ast, cum aegrotus noster fabrariam lignariam artem exercuerit, proxima haec forsitan causa reputanda horum eventuum. Nam id genus hominum, dum laborant et arbores caedunt, situm corporis eiusque peculiarem motum sibi adsciscunt, sinistrum pedem firmiter imponendo, & abdomen incurvando toties, quoties movetur sua securis. Hoc motu continuo possibile, ut reor, fuit, calculum et uretherem nec non tegumenta corporis adeo sese terere potuisse, donec inflammatio exulceratioque insequerentur. Quod autem calculus in curvamine abdominis sederit fixus, id conspiciebatur in relicta ingenti cicatrice aegroti. Si sedes ejus inferius in urethere fuisset et in illo loco, quo ille in vesicam irrepit, et quo ille calculus fuit, de quo sermonizatus est Rosset, forsitan sibi parasset per Peritoneum exitum longe faciliorem.

No. 40.